F. XV. c
18

29,477/B

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28780966

50696

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCROFULA.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NECNON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS HOUGHTON,
ANGLUS.
S. P. M. R. E. S. H.

Ut ſanus ſanam prolem, ſic morboſus morboſam gignit.
GREGORY Conſp.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Viro Spectatiſſimo,

JOSEPHO BRANDRETH, M. D.

Noſocomii Publici, quod

Apud Liverpool eſt,

Medico Primario,

Societ. Med. Reg. Edin. Soc. Extr.

Societ. Phyſ. Med. Reg. Edin. Soc. Hon.

&c. &c. &c. &c. &c.

Cum ob praecepta utiliſſima,

Tum ob plurima conſilia privata,

Atque

Officia multa, quibus ſeſe proſecutus eſt;

Hoc Medicum Tentamen,

Summae obſervantiae

Argumentum;

Item,

Item,

Viro jure Celeberrimo,

GULIELMO CULLEN, M. D.

In Academia Edinenſi

Medicinae Practicae Profeſſori eximio,

Apud Scotos Medico Reg. Primario,

Col. Med. Reg. Edin. Soc.

Societ. Reg. Lond. et Edin. ſod.

Societ. Reg. Med. Phyſ. Edin. et

Ejuſmodi aliarum plurium

Socio;

Propter beneficia quamplurima,

Atque

Amicitiae Documenta,

Quibus ſe dignatus eſt,

Hocce,

Perexiguum grati animi

Teſtimonium;

Denique,

Denique,

Patri ſuo

Honorando, chariſſimo,

THOMÆ HOUGHTON,

Artem Chirurgicam,

Apud Upton

In agro Ceſtrienſi,

Feliciter exercenti;

Animi,

Amore Paterno et Cura

Haud leviter tacti,

Signum;

Haſce ſtudiorum, qualeſcunque ſint,

Primitias

D. D. Cq.

AUCTOR.

To W. J. Hewson

From the Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCROFULA.

HIPPOCRATES atque plerique medicinam in Graecia facientes nomen χοιράδες iſtis chronicis glandularum tumoribus, in aliis atque aliis corporis humani partibus ſubinde oriundis, indiderunt. Vocabulum ipſum a χοῖρος, *porcus*, derivatur, et quia glandulae ſuum cervicales hoc malo ſaepe vexantur, ſimilem affectum in homine ſignificare adhibitum eſt. Romani hoc vitium vocabulo Scrofula, a *ſcrofa*, i. e. *vetula porca*, derivata, notârunt: ab iiſdem S*truma* quoque dictum fuit. Zevianus *malum Anglorum* vocat, Gallici *Ecrouelles*, Scoti *Crouels*.

A Hic

Hic morbus a noſtro doctiſſimo Cullen in claſſe ſua Cachexiarum, et ordine Impetiginum, diſponitur et definitur.

DEFINITIO.

Glandularum conglobatarum, praeſertim in collo, tumores, labium ſuperius et columna naſi tumida, facies florida, cutis laevis, tumidum abdomen.

MORBI HISTORIA.

Auctor ingenioſus ſupra citatus, de hoc diſceptans, dicit :—" Scrofula is commonly, and " very generally, a hereditary diſeaſe ; and al- " though it ſometimes may, yet it rarely ap- " pears, but in children whoſe parents had at " ſome period of their lives been affected " with it. Whether it may not fail to ap- " pear in the children of ſcrofulous parents, " and diſcover itſelf afterwards in their " offſpring in the ſucceeding generation,

" I

"I cannot certainly determine; but be-
"lieve that this has frequently happened.
"With reſpect to the influence of parents in producing this diſeaſe, it deſerves to be remarked, that, in a family of many children, when one of the parents has been affected with ſcrofula, and the other not; as it is uſual for ſome of the children to be in conſtitution pretty exactly like the one parent, and others of them like the other; it commonly happens that thoſe children who moſt reſemble the ſcrofulous parent, become affected with ſcrofula, while thoſe reſembling the other parent entirely eſcape*." Hoc unum ſufficiat, inquit Camplin ille magnus, quo etiam probari videtur, ſcrofulam temperamenti potius eſſe vitium quam morbum fluidorum. Generoſus quidem, qui juvenis ſcrofuloſus fuerat, uxorem duxit hac labe prorſus immunem, plureſque ex ea ſuſcepit liberos, quorum alii patrem, alii vero matrem vultu referebant. Qui patri erant ſimiles ſcrofula omnes affecti fuerunt, matrem vero referentes, ſicuti mater, fuerunt immunes.

Plerumque

* Cullen's Practice of Phyſic, v 4. p. 365.

Plerumque ſecundum aetatis annum inter et duodecimum ſeſe prodit; licet ſerius aliquando, et etiam poſt pubertatem, haud raro provenire videtur.

Sunt certa ſigna, Scrofula jam obtinente, vel certe imminente, quae vulgo medicis notata fuerunt; quamvis eorum nonnulla opportunitatem frequentius et certius morbi praeſentiâ denunciant. Sequentia ſunt praecipua; cutis delicatior, laevior; facies, praeſertim genae, florida ac plus minuſve tumida; tumor ſaepe infra mentum aut externas circa fauces atque collum; in labia oris, circa capillitium, et ſaepe ſuper alias quaſdam corporis partes, eruptiones; in naribus ulcuſcula, quae aliquando, in prava corporis conditione, in ulcera profunda, dolentia abeunt; dentes carioſae, oculi magni, patuli, ſimulque infirmi; palpebrae ſubrubeſcentes, aliquando tumentes; tumidum abdomen, aut meſentericas propter glandulas praeter ſolitum auctas, aut propter flatum conſtitutionibus flaccidis, laxioribus, familiarem: Labii ſuperioris tumor ad naſi columnam uſque pertingens; in labio medio fiſſura ſolito profundior; naſi columna tumida; quae quidem proxima tria ſaepius morbum antecedere obſervantur ſigna.

Alii

Alii hunc morbum eſſe humani generis ſolius proprium affirmarunt; ſi vero aliis credere phyſiologis liceat, inter alias quaſdam animalium ſpecies quoque invenietur, verbi gratia, ſimias, ſues, oves, aves forſan domeſticas, ſicuti meleagrides, &c.

Certas prae aliis partibus corporis adoritur hoc malum. Frequentius in partibus glandularum conglobatarum admodum refertis, nec alio forſan loco, ſeſe tumoribus oſtendit. Hinc plurimae lymphaticae in utroque colli latere glandulae, primario et praecipue afficiuntur. *

Attamen haec non ſunt loca, quae unica et prima hoc malum aggreditur; oritur enim nonnunquam in cubiti, carpi, genu et tali artubus, et tum *Hydarthrum* refert. Articulus affectus circumcirca paululum tumet, dolet, moxque rigeſcit; primo tamen vix eminet, et cuti concolor eſt. Genu et cubitus hoc vitio laborantes eandem prorſus faciem induunt, ſimilemque lentem decurſum ac finem ſervant. Citius plerumque ſuppurat talus, carpus, et reliqui artus minores. Auctores *Paedarthrocacen* vocarunt,

* Cum Strumae et Schirri oriantur ſub maxillis, plerumque glandulas meſenterii, hepatis, et pancreatis, temporis progreſſu, ſimiliter affectas fuiſſe, expertus novi.—*Commentarii Cliſton Wintringham*, 58.

runt, ſiquando hujuſmodi tumor digitorum articulos aut manuum aut pedum occupaverit. Sin oſſa media hoc morbo tententur, medici Arabici *Spinam-ventoſam* dixerunt.*

Omnes fere auctores ex quo vixit Hippocrates,† ad hoc tempus uſque,‡ Phthiſin Pulmonalem

* Is affectus ſingularis, qui ſub nomine *Spina-ventoſa* fere deſcribitur, ſcrofuloſus eſſe videtur. Hanc autem noſtram opinionem confirmant chirurgus ſeculi ſuperioris expertus, Wiſeman, et profeſſor jure celeberrimus Monro. In hanc ſententiam conceſſit hic anatomicus accuratiſſimus, quod *Spina-ventoſa*, eadem aetate, et in iiſdem corporum generibus, ac ſcrofula, ſemet oſtendit; quod caries ſcrofuloſam maniſeſtiſſime reddit, quodque morbus eadem cum difficultate depellitur.

† Hippocrates de Morbis, lib. 1. cap. x. et xiv. lib. 2. cap. lv.

‡ Obſervationibus ſatis compertum eſt, ſcrofuloſos prae omnibus aliis phthiſi obnoxios eſſe, et maximam partem phthiſicorum hanc diſpoſitionem plane habere. Sunt quidam medici, nec parvi nominis, qui, ex centum aegrotis phthiſi abſumptis, nonaginta ad minimum ſcrofuloſos eſſe ponunt; "et alibi." Ex his omnibus ſatis patet, phthiſin pulmonalem a diſpoſitione ſcrofuloſa ſaepe oriri, et verum morbum ſcrofuloſum eſſe. Quapropter, ubi phthiſis in iis occurrit, qui vel ipſi manifeſte ſcrofuloſi ſunt,

monalem referre huic malo nihil dubitarunt. An haec tubercula pulmonum revera ſunt glandulae conglobatae, non certo conſtat; nam, an tot in pulmonibus ſanis ſunt glandulae ac tubercula ſaepe ex anatomicis inveniuntur, non videtur. Et tubercula a glandulis conglobatis in aliis partibus tumentibus in multis diverſa ſint. Si tumor, hoc circa tempus, ſcalpello exacuto diſſecetur medio, facies ſecta plana, glabra, nitens quaſi homogenea et candida videtur.

Glandulae meſenterii, ſectis cadaveribus ſtrumoſis, multum auctae, et interdum ulceribus conſumptae, fuerunt repertae: hoc Tabem Meſentericam vocant. Struma naribus aut antris Highmorianis inſidens, Ozaena dicta eſt; atque Labrifulcium eſt cum cunque labra occupaverit. Pro malo ſtrumoſo, inepte vero, ut judico, nonnulli habuerunt iſtos tumores glandularum ſalivarium ſub lingua poſitos, illumque glandulae thyroideae: ille apud quoſdam

ſunt, vel a parentibus ſcrofuloſis nati, huic cauſae plerumque tribuenda eſt.—*Gregory de Coeli Mutatione, p.* 57.

Et profecto, ſi verum dicere liceat, in noſtris ſaltem aliiſque borealibus regionibus a ſtrumis ut plurimum oritur illa (nempe phthiſis) pernicies.—*Mead, Mon. et Praecept. Med. tom. II. cap. xv.*

dam Batrachus, ſeu Ranula, audit; hic vero *Bronchocele.*

In oculo variis ſub formis Scrofula apparet. Ulcuſcula palpebras infeſtant, rodunt; cilia ſponte excidunt, ipſae palpebrae tument, ſaepe maxime dolent. Cum laborat tunica adnata, mirum ni, ex inflammatione diu valente, caecitas, aut certe cornea opaca, aegro obvenit: Hinc interdum Dacryoma oriri quoque cernitur.

Sarcocele ex Struma nonnunquam originem ſuam trahere dicitur; parum adhuc certum, an res ſe ita habeat, necne. Quin et dictum eſt, rachidis curvaturam eodem ex malo oriri, quod fere cum injuria, aut etiam jactura, vis extrema inferiora moventis ſtipatur. Nonnihil hactenus dubitatum eſt, num morbus pſoadicus conſtitutioni ſtrumoſae peculiaris ſit; ad me quantum ſpectat, maxime ducor ut credam, ſaepius ſcrofulae proclivibus, quam aliis, incidere hoc malum.

Haec hactenus de partibus praecipue affectis, atque modis variis, in quibus apparet Scrofula, dicta ſunt. Celeberrimus quidem phyſiologus ſaeculi praeſentis ſententiam de hac re multo latiorem amplexus eſt. Is poſuit in

conſpectum

conſpectum eam haud raro prodiiſſe pluribus in corporis partibus, ubi, nimirum, uti affectionem ſtrumoſam, minime eam reſpicere ſoliti ſumus. Hoc, eo teſtante, obtinet, in hiſce locis, quae antea ulceribus inveteratis infirma ac laxa quodammodo facta fuerunt. * Scrofula genus lymphaticum ubi adoritur, glandulae, ut ſupra dictum, praecipuae laborant. Si conglobatae affectae prope corporis ſummum ſitae ſint, adeo ut facultas examinandi eas tactu praebeatur, poſſidere haſce proprietates videntur: Primum nodulis exiguis, duriuſculis, ſubter cutem ſunt ſimiles; aliae ſunt ſphaeroideae, aliae vero ovoidaeam formam reddunt; magna mobilitate, ſed parva renitendi vi gaudent; minime dolent, et cuti concolores inſigniter aliquando eminent. Haec in ſtatu nonnunquam multos annos, immo totam per vitam, manent; aſt ſaepius tamen tum numero tum mole auctae fiunt, atque, partibus circumjectis paulatim accreſcentes, minus minuſque mobiles evadunt. Jam rubeſcit cutis quacum contegantur. Morbo procedente, inflammantur, ſuppurantur, ſimulque dolor remittit, mox humor incluſus, fora-

* J. Hunter in Praelectionibus.

mine uno pluribuſve natura factis, profunditur.

Hujuſmodi tumores admodum quidem lente, ut ſupra diximus, in ſuppurationem abeunt, vixque unquam, ſicut alii phlegmones, in faſtigia elevantur; cutis autem undequaque contenta nitet aut purpuraſcit, ac non, niſi cum materiae diutius reſiſtere nec poſſit, dirumpitur. Tumores ſcrofuloſi longe occluſi manent, etiam poſt ſuppuraverint; et apertura, quae exigua tandem natura effecta fuerit, haudquaquam ad materiam intus clauſam evacuandam ſufficit. Quocirca ſaepe neceſſarium eſt, ut orificium juſta magnitudine factum ſit.

Qui ex tumoribus ruptis effluit, humor parcus, ſubaquoſus, ſero viſcido, quam puri ſincero, multo ſimilior eſt; hinc neque ipſi multum deſidunt, neque remittit inflammatio, ſicut abſceſſibus communibus accidere ſolet. Materia contra, in cellulis ſive cavis quibuſdam latet; ac ulcerum ipſa labia, ut fieri iis nondum plene ſuppuratis aſſolet, intumeſcunt, dehiſcunt. Abſceſſus, quanquam (ad viſum ſaltem) vacui ſint, nec tamen cito oris ſuis coeunt, neque *granulorum*, ut dicuntur, ſanorum implentur. Fiſtulae aliquando penitius excurrunt, unde humor tenuis

nuis exit. Ad hunc modum plures menſes, interdum annos, faciem ſaepe formoſiſſimam deformantes, ulcera procedunt, et aegrum male macerant.

Si proclivitas iis ulceribus in melius verti inſit, eorum in fundis videre eſt granula mollia, pellucida quaſi, et inſenſilia; ulcerum orae ut plurimum planae et laeves ſunt, atque raro calloſae fiunt. Cutis undique ex purpureo livet, atque longum poſt tempus, pallida, laevis, aliquando corrugata, cicatrix obducitur. Hunc curſum morbus plures annos ſaepe ſervat; ſed multo ſaepius quatuor ſive quinque annos, ſanatis ulcuſculis inveteratis, apparentibus ſimul nullis novis, ſponte cedit.

Tumores hoc in morbo plerumque paulo poſt brumale ſolſtitium vel aliquando ſerius apparent, atque aeſtivale uſque provenire et augeri continuant. Aeſtas inſequens aliquando eas omnino diſcutit, aut ſaltem pro tempore gradum ſiſtit; hyems vero ineuns reducit, eoſque auctos, inflammatos, ac ſuppurantes accipit. Sic, ordine ſtrictius ſervato, aut imminuti aut adaucti pro tempeſtatum vicibus procedunt, atque ad aetatem puberem aegrum nonnunquam detinent. Tunc temporis mutatio, quam miram

ſubit

ſubit totum corpus, ac vigor plerumque inde natus ejus progreſſui obviam fiunt. In aegrum poſtea aut minus ſaevum eſt, aut prorſus immunis evadit.

Talis, ſiquando glandulae conglobatae affectae fuerint, ſcrofulae curſus et finis eſt; ſin vero articuli laboraverint, longe violentior atque periculoſior eſt morbus. Hiſce in caſibus ut plurimum incipit ab dolore acuto, ſaevo, ac pungente, qui ſubito et inſperato articulum medium aggreſſus, oſſium juncturam conſtituentium textui ſpongioſo inſidere videtur. Huic citius ſeriuſve accedit partis affectae tumor, et artus flectentium muſculorum rigiditas. Ex hoc tempore magis dolet et immobilior ſit artus. Subter cutem venae increſcunt; dum tumor circa juncturam magis magiſque tenſus fit, et vi reſiliendi quadantenus gaudet. Interea, articulo tumente, dolor, maxime ſub motu, fit ſaevior; rubeſcit cutis, atque in uno alterove juncturae latere in faſtigium elevatur. Jam abſceſſus formatus rumpitur, ac ſaniem, ſeu mali moris pus, quale eſt oſſibus penitus carie correptis, offundit. Interim hincque illinc naſcuntur ſinus, qui inter muſculos longe ſaepe lateque ſerpunt. Membrum univerſum ab articu-

lo

lo laborante aduſque extremum decreſcit, et flaccidi, debiles fiunt muſculi. Ligamenta eroſa artui admodum rigeſcunt; et aegrum, motum conantem, excruciant: cartilagines etiam atque oſſium capita eroſione ac ulcere corrumpuntur, funditus pereunt. Ex dolore, irritatione moleſta, abſorptaque materia purulenta, ſigna diriſſima tum oriuntur; qualia ſunt, anorexia, vigiliae, virium jactura, ſudores noctu copioſi, atque diarrhoea liquans. Hiſce quam celerrime obviam eundum, aliter enim mors propero pede inſtabit. Aliquando quidem, fruſtratis ſubſidiis omnibus, remediiſque nihil proficientibus, e medio aegrum tollunt. Attamen paucis in exemplis curſum feliciorem habent, et membro aut opportune amputato, aut, natura favente, ſigna remittunt, ac quaeque timenda in melius ſe vertunt.

Eundem fere curſum ſervat, ſimilemque finem generatim accepit Scrofula, cum media oſſa, ſicuti cum artus, invadat. De his igitur nihil nunc ſtatuere in animo eſt, ſed potius ad

CADA-

CADAVERUM INSPECTIONES,

Tranſire. Diſſectis cadaveribus eorum Scrofula extinctorum, glandulae viſcerum abdominalium conglobatae plurimae vitiatae maleque affectae ſunt: Eae praecipue, quae meſenterii ſunt, ſaepiſſime plus minus tumidae, ulceratae, aut eroſae, cernendae fuerunt. Neque ut plurimum viſcera thorace contenta ſe melius habent; quo enim cunque in loco aut inſideant, aut inſidere ſuſpectae ſint glandulae, inflammatae, vel quodam alio modo corruptae, videntur. Tubercula in pulmonum ſubſtantia variae figurae et molis ſeſe ubique oſtendunt. Harum quaedam tam parvae ſunt, ut vix conſpici queant, aliae, ſecundum diametrum emenſae, pollicem et amplius exaequant. Iſtae per medium diſſectae, expreſſa ſimul materia, ſpeciem interdum pocillorum reddunt, praeter quae, nihil aut glandularum aut tuberculorum relinquitur.* Cadaveribus antea artubus laborantium inſpectis, ligamenta articuli illius, malo affecti, praeter

* Stark's Medical Works.

praeter nuturam tumida, craſſa, et quadantenus pulpoſa ſemper ſunt. Textus celluloſus circa articulum lympha viſcida, gelatinoſa, oneratur. Cavus ipſius artus fluido quodam indigeſto, ſeu ſanie, ſaepe completur; eroſae ſunt cartilagines inventae; et oſſa carie ſui generis abſumpta videntur. *

DIAGNOSIS.

Affectiones, quibuſcum confundi poteſt Scrofula, ab aliquo eam parum attente reſpiciente, ſunt:

* Exemplum cariei oſſium admodum ſingulare in ſkeleto ſcrofuloſi, ſexennium nati, quod penes Monro eſt, occurrit. Pars dextrae tibiae media, anterior, ubi muſculis non tegitur, aliquantulum tumida et ſcabra eſt. Condyli oſſis humeri dextri eodem fere modo afficiuntur. Laminae duae oſſium parietalium, altera ab altera, tam introrſum quam extrorſum, ſeparantur. Os metacarpi ſiniſtri primum ad medium uſque, parſque ejus extrema, quae carpo adjungitur, nodoſa, ſpongioſa, et foraminum parvulorum plena, eſſe videntur, et radius juxta caput magnopere intumeſcit. Pars utriuſque ulnarum ſuperior, anterior, et media maxillae inferioris et oſſis frontis, admodum tumidae et ſpongioſae, magnas aperturas habent, margines quarum ſcabri ſunt, et inaequaliter prominent.

ſunt : Tumores, ulcera, et caries oſſium a Lue Venerea proficiſcentes; Phogoſes diverſae: Schirri quaſdam partes plectentes ; et denique Steatomata. De ſingulis pauca loqui ordine ingrediar.

1mo, Scrofula plerumque ſatis facile a tumoribus ſyphiliticis et ulceribus diſtinguetur, ſi modo aegri aetatem, temperamentum, priſtinas affectiones, cum ſuas, tum parentum, attente conſideremus. Hiſce vero, ut aliquando ſit, non plene ſufficientibus, alia adhuc diagnoſtica habemus, ad quae confugere liceat. Nec tumores nec ulcera venerea ſuboriuntur, niſi praeceſſerit tactus impurus ; cum autem in hoc praecipue verſentur genitalia, praevia Luis ſigna prius ibi locorum, quam in aliis, ſeſe oſtendunt. Praeterea, tumores ſyphilitici, quam ſtrumoſi, multo citius, vel reſolutione vel ſuppuratione, terminantur. Abſceſſus et ulcera venerea aſpectum longe diverſum a ſtrumoſis ſibi adſciſcunt, nec fere in iiſdem locis oriri cernuntur. Syphilis aliquando, Scrofula fere ſemper, glandulas lymphaticas adoritur. Inſuper id, quod ex ulceribus profundatur, huic et illi diverſum apparet ; in Scrofula materia eſt ſanioſa, cruda, tenuis ; in Syphili plerumque craſ-

ſior;

ſior, albeſcens, adque puris ſinceri indolem magis accedit. Ulcus venereum ſaepe profundius it, et ad favi ſimilitudinem cruſtoſi videntur, id autem parum, quod ex ſtruma proveniat.

Caries aut oſſium ulcerationes, aliqua ex parte quod ad faciem, magis vero quod ad ſedem, in utroque morbo, ſibi invicem diſſimiles ſunt. Syphilis oſſa media, duriora, ſaepius corripit, exedit; mollia et ſpongioſa fineſque oſſium aut capita occupare aſſolet Scroſula. Aegroti denique conſtitutio, et cauſae remotiores, quantum eas innotuerimus, haud parum ad diagnoſin inter utraque mala inſtituendam auxiliabuntur.

2do, Phlegmon ſimplex rariſſime in ſedibus Strumae uſitatioribus oritur: Quamvis enim hujuſmodi tumor, aliquando in glandulis conglobatis colli, ex materia *Tineae* acri et varioloſa abſorpta, enaſcatur, cauſae tamen, plane patentes, rationem facile reddunt. Iſtiuſmodi autem tumores in diverſis corporis partibus ſine cauſa evidente proveniunt, citius matureſcunt, magis plerumque dolent, et ſpeciem prorſus a ſcrofuloſis alienam prae ſe ferunt.

3tio, Tumores iſti ſchirroidei, cum quibus affectionem ſtrumoſam confundendi ullum periculum

culum eſt, ſunt, qui indolentes, circumſcripti, mobiles, parum rubentes, in partibus ſemper inveniuntur ubi glandulas conglobatas certo adeſſe non novimus. Hiſce praecipue characteribus eos inter et tumores ſcrofuloſos internoſcere licet: ſchirroſi, non ſecus ac ſcrofuloſi, lente plerumque in ſuppurationem abeunt; illius autem tumores conglomeratas, veluti mammas mulierum, teſtes marium, &c. &c. hujus vero glandulas conglobatas ſemper fere tenent. Inflammatio nec raro ſchirros praecedit; eadem, contra, tumores ſcrofuloſos excipit. Schirrus ſemper in loco enaſcitur, neque vitium huic illive temperamento proprium eſt, prorſus aliter Scrofulae haec eveniunt.

4to, Nihil fere facilius eſt, quam inter *Steatomata* et tumores ſcrofuloſos diſtinguere. Illa nunquam, ſicut hi, in genere lymphatico, ſed potius in textu celluloſo, ubique corporis oboriuntur. *Steatomatum* textura multo laxior, et mollior, quam tumorum in ſtruma eſt. Nunquam ſuppurantur, niſi propter cutem vaſta mole diſtentam. Lentius procedunt, et ad magnitudinem ſaepe enormem perveniunt.

CAUSAE

CAUSAE EXCITANTES.

In plagis tum calidioribus, tum frigidioribus, rarius occurrere Scrofula dicitur. Temperatiorum vero, praecipue tempeſtatibus frequenter mutatis, incolas gravius urget. Qui in ſede Auſtrali habitare diu aſſueverint, et poſtea ad Septentrionem verſus ſubito migraverint, iis jam proclivibus morbus facilius excitatur; Contra, qui ſub Boreo axe vitam peragentes e glandulis conglobatis laborent, ſi meridiem verſus perigrinaverint, immunes plerumque Struma degunt.

Affectiones ſtrumoſae eadem in regione deverſis anni temporibus, ut jam dictum, plus minus urgent. Scribet celeberrimus Gregory, omnibus notum eſt, tumores ſcrofuloſos externos non ſemper in eodem ſtatu manere, ſed nunc augeri, nunc minui, interdum evaneſcere, et rurſus poſtea ſe oſtendere. Hae mutationes ex variis anni tempeſtatibus oriri videntur. Porro, experientia docet, ſtatum aëris et coeli in diverſis provinciis, aeque ac in eadem re-

gione

gione diverſis anni tempeſtatibus, a ſcriptorum quibuſdam pro cauſa Scrofulam excitante rite habitum eſſe. Apud quaſdam gentes ſaepius adeſſe referent auctores, ſed fortaſſe ab aliis non ſatis perſpectum eſt.

Diaeta parum vel male nutriens Scrofulam excitare obſervatur. Hoc fortaſſe fit, propter debilitatem generalem corpore non ſatis alto inductam atque auctam: Hinc quoque fluida vilia et ſordida facta vaſa minus ſtimulant, ſed potius ſarciunt, atque tumores conglobatos aliquatenus movent.

Poſt variolam aliquando Scrofula accedat; ſed, quantum nobis conſtat, non ſaepius poſt inſitam quam variolam naturalem; ſed, ſi De Haen aliter accediſſe videbatur, hoc ab homine inſitioni inimiciſſimo ſuſpicari licet profectum fuiſſe.

Frigus ſubito et gradu inſolente admotum a quibuſdam culpatur, cui accedat mercurius pro medicamine adhibitus. Morbi atque vitia varia, quales Febris, Syphilis, Subluxatio, Ictus, Contuſiones, aliique quam plurimi, in proclivibus jam factis Scrofulam accendunt.

A nonnullis denique hocce malum contagioſum habetur; ad hoc vero ſtabiliendum deſunt, quantum novimus, argumenta; e contrario, non

non ita eſſe plura ſuadent. Magni Profeſſoris ſaepe citati verba hac de re auſcultate.

"It ſeems proper to obſerve here, that the Scrofula does not ſeem to be a contagious diſeaſe; at leaſt, I have known many inſtances of ſound children having had frequent and cloſe intercourſe with ſcrofulous children, without being infected with the diſeaſe*."

MORBI ORIGO ATQUE INDOLES.

"Ut vitrum ex officina prodit fragile, ſic homines debiles, caduci, morbis opportuni naſcuntur. Sed quidam prae caeteris homines aliis atque aliis plectuntur morbis.——Hinc morbi haereditarii in ſeros nepotes tranſituri: hoc modo ſaepe delicta majorum immeriti luimus†." Parum dubii inter medicos hodie exiſtit, quin hujuſmodi morbus ſit Struma. Hic igitur oportet, aeque ac in pleriſque vitiis haereditariis, agnoſcamus cauſam Scrofulae proximam ſeu con-

* Cullen's Practice of Phyſic, vol. iv. 373.

† Gregory's Conſp. Med. Theor. p. 29.

continentem, ut vocatur, perobſcuram, tenebris velatam eſſe. Hanc propter cauſam, vocabula *Labes haereditaria*, ut reor, medicis a ſcriptoribus adhibita fuiſſe, potius ad notionem notandam incertam, ac minus accuratam, quam ſatis definitam aut probe iis perſpectam.

Medici, tum vetuſtiores tum recentiores, de Scrofulae natura ac ſede ſententias mutuò valde abſimiles amplexi ſunt. Crediderunt quidam *Labem haereditariam* ſolidis, alii fluidis ineſſe. Illi ad generis ipſius lymphatici vitium quoddam; hi ad ſeri acorem, viſciditatem lymphae, humorum acrimoniam, vel certum acre ignotae indolis in corpore diffuſum, eam retulerunt. Partim ob rem ipſam ſatis retruſam, partimque ingenioſa ob argumenta et ratiocinia, quae auctores ad proprias firmandas opiniones protulerunt, nec facile venit ſtatuti, cui ſupra dictarum cauſae morbum, de quo agitur, tribuere me oporteat. Quando quidem vero in hac nimium umbrata parte peragenda, quicquam aut novi, aut vulgo acceptis juſtius, prodere omnino deſpero; tantum reſtat opinionum quarundum notabiliorum meminiſſe, et argumenta perpauca adducere, quibus, ſcilicet, ſententia melior inniti videtur.

Wiſeman,

Wiſeman, quem ſecutus eſt Bordeu, Auctor Gallicus, aliique, in primis erat, quantum novi, qui hunc morbum aciditati ſeri ſanguinei tribuebat. Illi ſententia erat, acida primis in viis abſorpta vaſiſque lymphaticis devecta, tandem cum ſanguine commiſceri; et exinde humores quadammodo coactos glandulis praecipue conglobatis inhaerere, et tumores induratos ſcrofuloſos procreare. Argumenta vero huic doctrinae ſtabiliendae omnino deſunt. Neque enim conſtat hoc morbo tentatos magis, quam qui immunes, acidis entericis eſſe obnoxios; nec quidem hactenus pro certo habetur, ſerum ante morbi invaſionem ſponte aceſcere, necne. Porro, ex theoria modo poſita, infantuli, et qui cibo ex vegetabilibus confecto ſaepius utantur, ac liquorem multo acido commiſtum epotent, ſicuti, Turcae, ſemper opportuni et ſaepe tentati tumoribus glandularum degerent.

Auctores notae haud obſcurae plures, in quorum numero ſunt, Boerhaavius, Wharton, lentorem ſeu viſciditatem lymphae morbi cauſam poſuerunt. Noſter doctiſſimus Home in eandem ſententiam ivit; ſequuntur verba: " An cauſa proxima ſit humorum ſeroſorum vel lymphaticorum viſciditas, glandulas conglobatas

vel

vel conglomeratas infarciens? Ita patebit, ſtructuram," &c. Huic autem hypotheſi rite objectum fuit, talis vitii ſanguinis exempla haud unquam oſtendi poſſe, nedum morborum compoſitorum, qui inde oriri putantur. Quin et, ſi hoc de vitio dicta vera eſſent, oporteret, diluentia medicamenta et attenuantia, ut dicuntur, Scrofulae aegris auxilium paraviſſent.

Clariſſimus Clifton Wintringham, Eques,* Morton, medicique praeterea multi, Strumam ex acrimonia quadam in fluidis corporis exiſtenti originem trahere exiſtimarunt. Acris haec materia, ut aiunt, idoneae alimentorum aſſimilationi impedimento eſt; quo fit, ut cruda in

* "Glutinoſae hujus temperiei ſpecies ſecunda eſt ſimplici longe frequentior, et nunquam ſine acrimonia quadam invenitur; vel enim acida conjungitur, vel humoribus putreſcentibus, qui, dum in locis variis ſtagnent, acrimoniam variam, pro ſtagnantium liquorum natura diverſa, gignunt; ut in aegris *Strumoſis*, *Rachiticis*, *Ictericis*, *Hydropicis*, aliiſque quamplurimis, videre eſt. Lentam et acrem hanc humorum temperiem deſignant obvii glandularum tumores, parum vel non dolentes, arteriarum pulſus a naturali non multum aberrans, urina craſſa cito putreſcens, ſitis, artuum laſſitudo, dolores tam fixi quam vagi ſine ſignis inflammationis." —*Commentarii Clifton Wintringham*, 69.

in arteriis minutiſſimis, flexuoſis detenta, tumores, aliaſque affectiones ſtrumoſas, incitent. Nihil fere dubium eſt, quin ſanguis, propter morbos praegreſſos, acria ingeſta, aut ſpontaneam et naturalem, ut fertur, putredinem, quodammodo acer pro brevi fieri poſſit. Sed plerifque in exemplis teſtimonia ſpecialis acrimoniae ante Scrofulae aggreſſionem in corpore valentis nulla habemus; et ſiquando in morbi decurſu acrior fit ſanguis, pro effectu quam cauſa potius habendum eſt. "Saepe obſtruuntur hae glandulae conglobatae, et in ingentem molem tument, plerumque ab acri aliquo ad ipſas delato; interdum fortaſſe et ab aliis cauſis minus cognitis; ut in Strumis, vel Scrofula, ut vocatur, cujus morbi primaria vel frequentiſſima ſaltem ſedes videntur eſſe. Sed nihil certi conſtat de natura aut origine, ne quidem de praeſentia acrimoniae in initio hujus morbi, cum glandulae primo tument; quamvis non dubium ſit, his diu obſtructis, inflammatis, exulceratis, plurimum acrimoniae gigni, et fortaſſe per totum corpus diffundi.*" Nec in Strumis alkalinorum utilitas acrimoniae exiſtentis notionem fortiter propugnabit. Si enim unquam

D

* Gregory's Conſp. Med. Theor. v. 1. p. 242.

quam profuerunt, exiſtimo commoda nullo alio modo attuliſſe, niſi ſigna graviora ex acribus per corpus diffuſis oriunda, minime autem cauſam proximam, tollendo, aut ſaltem corrigendo. Denique, humoribus factis acribus, et morbi hujuſce naturae nihil eſſe docet Variolae acrimonia, quae quanquam, ut ſupra diximus, Scrofulae nonnunquam accedat, tamen morbum acerbiorem rariſſime dare ſolet, imo etiam nec raro impetum ejus minuit. *

Aliam opinionem de hujus morbi indole amplexus eſt et vindicavit Monro. Exiſtimat ille eruditiſſimus, materiam acrem naturae propriae, neque hactenus ſatis perſpectae, a corporea conſtitutione generari, quae per totum corpus diffunditur, ac in cava omnia deponitur; hanc, vaſis lymphaticis aliquando abſorptam, in glandulis conglobatis morari, proritare eas, et inflammationem lentam, ſtrumoſam progignere; alias vero extra genus lymphaticum depoſitum diverſas affectiones facere, ceu Ophthalmiam, Spinam pedis vel manus Ventoſam, Hydarthrum, ſimileſque. Hoc non ita eſſe, pauci, ut credo, vel affirmare vel negare audebunt; fortaſſe tamen, nobis ſuſpicantibus, nullum, vel certe

* Vide Cullen's Firſt Lines, vol. iv. p. 364.

certe imbelle curandi conſilium poſſe hoc fonte depromi, aſſentient.

His omnibus de Scrofula ab aliquo humorum vitio innixa propoſitis objici poteſt, quod fluida corporis, cum mutationibus variis identidem obnoxia ſint, in vitae vel quidem menſium paucorum decurſu, morbi ſaepe tam diuturni, quam Struma, cauſam juſtam, manentem, vix et ne vix quidem praebere poſſunt.

Ad ſummam, conſtitutio ſingularis totius generis lymphatici a ſcriptorum recentiorum nonnullis pro Scrofulae cauſa continente habita fuit. Profeſſor noſter egregius Cullen et Dr Ruſſel hujuſce ſententiae imprimis propugnatoribus ſunt. Ipſe quoque illorum illuſtrium ſequax agnoſcor, et nullus affirmare dubito, quin haec cauſa, quantum perſpectam habui, et cum rebus factis de morbi phaenomenis ſupra prolatis, et proſperiore ſublevandi methodo, conveniat; ſublevandi, nam perdifficile, imo impoſſibile, duco eum, quippe quia cum ſtamine ingenito prorſus intextus ſit, funditus dimovere. Opinionem Profeſſoris ſuis verbis exponere hic placet. "In ſhort, its appearance in particular conſtitutions, and at a particular period of life, and even its being a hereditary diſeaſe, which

ſo

ſo frequently depends upon the tranſmiſſion of a peculiar conſtitution, are all of them circumſtances which lead me to conclude, upon the whole, that this diſeaſe depends upon a *peculiar conſtitution of the lymphatic ſyſtem.* *"

Quatenus acrimonia ſpecialis ad Scrofulam excitandam in corpore jam facto proclivi conferat, me eſſe ignarum confiteor; nec ſcilicet res facilis decretu eſt: Aliquid poſſe credere videtur Cullen. Nec minus obſcurum eſt ſyſtematis lymphatici ipſiſſimum vitium. Quamplurimi in atonia conſtare putarunt; nec quidem hanc ideam multum fefellit remediorum maxime probatorum uſus.

Glandulae lymphaticae ſunt hujus morbi ſedes praecipuae, tamen non ſola. Inde vero quaeſtio oriri videtur; et, quomodo fit, aliquis fortaſſe inquirat, ut oſſium articuli, ipſa oſſa media, glandulae conglomeratae, aliaeque bene multae partes, interdum Scrofula plectantur? Quo huic nunc poſitae quaeſtioni referamus, primum notandum eſt, Vaſa abſorbentia forſan in nulla corporis parte non exiſtere; propter eorum igitur atoniam ſeu vitium, quodcunque ſit, veroſimillimum eſt, affectiones Scrofulam referentes

* Cullen's Practice of Phyſic, v. 4. 373.

referentes extra glandulas conglobatas facile oriri poſſe. Sintne tales affectiones Strumae revera participes, an ſolummodo ſimiles? Participes parum dubito; quae, extra lymphatica poni videntur, non tam ab acri in partem aegram depoſito, quam abſorbentium ejus imbecillitate adeo vaſta, ut munere proprio rite fungi nequeant; inde vero non poteſt, quin accidat, partes, quae reſorberi debentur, relictas, varia vitia pro loci varietate mox genituras eſſe.

PROGNOSIS.

Prognoſis hoc in morbo, non ſecus ac in aliis pleriſque, nunquam non incerta eſt habenda, et ad quam nimirum inſtituendam acumen, et notitia, et experientia haud exigua requiritur. Si aegris ſtrumoſis adhuc ſatis integrae ſint vires; ſi parum vel nihil omnino valetudo generalis immutetur, et denique ſi aegroti pubertatem minime attigerint, bonum tuto praeſagiat medicus. Cum univerſi ſyſtematis, ſub pubere aetate, mu-

tatione facta, quoque ſaepe accidere morbi hujus mutationes ſaluberrimae cernuntur. Symptomata vel prorſus evaneſcunt, nunquam poſtea plerumque reverſura, vel certe, paulo poſt deceſſura, admodum miteſcunt: Quamvis hujuſce mutationis naturam aut modum magna ex parte ignoramus, ea tamen eſt, et hic et aliis quamplurimis in morbis, ut medicorum peritiae atque medicaminum viribus longe ſaepe praeſtat.

Morbus, ſi ſeneſcentes, aut certe aetatis florem jam actos, primum invaſerit, praeſagium plerumque ſiniſtrum dat. Neque laetum eſt, ſi jam ſenioribus, primis ab annis, aegris perſtiterit. Hoc autem minime perpetuum erit; quibuſdam enim robuſtioribus, et habitus melioris, longam etiam per vitam haeſit, praeter moleſtiae nonnihil, nullum periculum aliud aut injuriam ſecum afferens.

Wiſeman teſtatur tumores rotundos mitiores quam ovatos ſe inveniſſe: refert quoque laborantes ſtrumoſis in collo tumoribus, qui poſt annum quadrageſimum ſuborti fuerint, rarius revaleſcere; ſed Ictero, Phthiſi, aut Hydrope correptos ſaepius opprimi.

Ad

Ad praeſagium de eventu Scrofulae certius inſtituendum, partem corporis affectam reſpiciamus maxime oportet. Morbus in pulmonibus aut in meſenterio inſidens, propter inſignem harum partium uſum, periculum haud leve adfert: talibus in exemplis metus eſt, ſi tuſſis frequens adſit, dolor in quadam thoracis parte fixus, abdominis tumor et dolor, diarrhoea, ſpiritus difficilis, debilitas, emaciatio, febris hectica ejuſque comites, aliaque ſigna quae vitium univerſum ſyſtemati ineſſe oſtendant.

Colli glandulas et oculorum palpebras afficiens minus periculoſus, quam moleſtus et aſpectu foedus exiſtit.

Si oſſa, vel oſſium articuli laborant, rarius ſanantur; ſique caries ſupervenerit, actum eſt. Hydarthrus, ut ſervatus ſit aeger, nec raro amputationem poſtulat.

Quod ad ulcera ſpectat, prognoſis eorum aſpectu atque aegri viribus nititur; pus benignum fauſtum ſignum habetur; malum eſt, ſi quando materia ichoroſa, tenuis, acris, profundatur, ſi ulcerum orae laeves, planae, quaſi exiſtunt.

SUBLEVANDI METHODUS.

Quoniam ex ſupra omnibus dictis manifeſtum eſt, inſignem totius corporis laxitatem, atque tumores et foeda ulcuſcula partes certas obſidentia, morbum praecipue conſtituere, ſcopus medici plane erit;

I. Syſtema univerſum quam maxime corroborare.

II. Tumores, et ulcuſcula inde naſcentia, amandare.

In peragenda Diſſertationis hac parte, parum in animo eſt medicamenta omnia, quae numeroſiſſima a medicis ſcriptoribus multum decantata ſunt, annumerare: Quae experimentis et inductione aliqua ex parte comprobata ſunt, ea pauca ſolummodo percurram.

Inter ea, quae praecipue primo conſilio ſatiſfaciant, Exercitatio, Diaeta, Tonica quaedam, Coeli mutatio, et Lavatio frigida, vulgo recenſentur. De his ordine.

Exercitatio.—Sunt pauci, credo, quos de commodis innumeris ab exercitatione naſcentibus potius

potius admonere quam convincere non oportet. Uſus ejus inſignis, tum ad valetudinem conſervandam, cum ad reſtaurandam, ſi deperdita fuerit, meritiſſime apud quoſdam auctores* ei appoſitum *Polychreſta* conciliavit. Dum citra faſtigationem ſit; ſolida ſimplicia roborat, vivis vigorem impertit; calorem benignum creat; concoctionem adjuvat; fluida in omnes corporis partes rite digerit; perſpirationem cuticularem adauget; excretiones quaſque et ſecretiones, tempore ac modo, quo decet, promovet; ſomnum gratum conciliat, et cruda in primis viis, fontem ſcilicet malorum uberrimum, penitus eruit. Ad morbos praecipue vetuſtos, quales ſunt Hypochondriaſis, Aſthenia chronica, Apepſia, Viſcerum obſtructiones, Marcores, Nervorum reſolutio, ſimileſque, accommodatur.

Nihil eſt, inquit† Hoffman, quod utiliſſimam ſuperflui et nocentis humidi perſpirationem, tam egregie juvat, quam motus corporiſque exercitatio, qua tuendæ ſanitatis vix praeſentius datur auxilium. Peregrinatio ad omnium ſalubritatem pertinet, quia non modo cum continuo mo-

* Vide Amoen. Acad. vol. 7.

† Hoffman de Motu opt. Sanit. Praeſid. cap. x.

tu, ſed frequentiori etiam aëris inſalubris mutatione conjuncta ſalubriorem praeſervando, aegregie velificatur.

Bonos exercitationis effectus variis modis pro viribus aegroti, aetate, et re familiari, petendum eſt. Ambulatio, ut maxime naturalis, ſi adoleverit aeger et vires ſufficiant, aliis plerifque modis anteponenda eſt; ſin aliter, equitatione, geſtatione in curru aut navigatione, utendum; et cum primum robur nactus fuerit majus, ad exercitium paulo vehementius, ſuiſque membris abſolutum, ſeſe recipiat. Semper autem memoria teneatur modum, qualecunque exercitationis genus agitetur, quam maxime ſervandum eſſe; nimia enim, aeque ac nulla, haud parum nocet. Nemo in incerto haereat, in hoc morbo levando, modo et genere exercitationis eodem uti, qualis ſaepe laetiſſimos effectus in Phthiſi ſcrofuloſa tractanda edidit.

Diaeta.—Quandoquidem cibus et potio, non ſecundae tantum valetudinis praeſidia, ſed etiam, magna ex parte, nonnullorum morborum communia auxilia ſunt, Medici attentionem in Strumis ſublevandis merito ſibi vindicarunt. Cibus ſemper ſit, qualis bene nutrit, ex animalibus confectus melius, quam ex vegetabilibus plerumque

rumque convenit; neque vero ex his neque ex illis talem ſumendum eſt, qualis ventriculo ſit alienus, inflationem creet, corpus nimis calefaciat, aut ſanguinis curſum feſtinet; neque ipſe ſit ejus generis, qui facile intus corrumpatur. Cavendum quoque, ne cibi nimium ingeratur, ſed parcius, et, pro juſta aegroti appetitione, ſaepius adhibendum eſt. Si in ſtadio morbi provectiore febris hectica ſupervenerit, cibaria ex lacte parata, et facillime digerenda, potiora ſunt.

Tonica.—Quae apud auctores maxime hic eminent, ea ſunt, Cortex Peruvianus, Chalybeata, et Lavatio frigida. Non quidem neſcimus, haec auxilia inſigni vi in multis morbis, de ſolidorum laxitate et debilitate naſcentibus, pollere, in hoc vero (dolendum eſt) raro noſtris votis unquam ſatis ceſſerunt.

Cortex Peruvianus ab illo medico diſerto Fothergill ſummis laudibus ornatus eſt, pluraque Strumae exempla ab eo proferuntur, in quibus ejus adminiſtratio ſupra ſpem conſiliis curandi reſpondebat. In quibuſdam autem caſibus, fatetur eum penitus fruſtrare; et Profeſſor Cullen ſe nullum ſcrofuloſum hoc unico auxilio unquam revaleſcere vidiſſe teſtatur. E chalybe parata,

parata, utpote quae debilitatem et laxitatem corrigant, partes ſolidas ad priſtinam et ſanam firmitatem reducant, aliquando ad tonum reſtituendum et glandulas obſtructas ſolvendas*, in Scrofula uſurpata ſunt. Haec vero minime tam egregie profuerunt, ut multum laudis mereantur.

Aer demum frigidulus inter remedia roborantia praeſtantiſſima jure recenſetur; huic autem morbo, heu! ineptum remedium fere prorſus inventus eſt. Dum enim omni cum diligentia, a nimio calore cavendum, tamen multum verſari ſub dio frigido haud parum nocet aegrotanti. Aeris frigidi effectibus tutius confidimus, ſi morbi acerbitas jam antea acta ſit, aut ſigna ſaeviora nondum ſupervenerint; nam frigus intenſum aut diu applicatum, morbo recrudeſcente, ſemper fere timendum eſt. Ut concludam, effectus frigoris meliores ex vi ſua ſtimulante, potius quam ſedante, petere ſemper oportet.

Coeli

* In ulceribus ſtrumoſis, quibus, loco puris, adeſt liquor lentus, glutinoſus, valde proſunt medicamenta ferruginea cum decocto guajaci in aq. calcis ppto, modo non hecticus adſit corporis habitus.—*Commentarii Clifton Wintringham.*

Coeli Mutatio.—Dr Gregory, poſt multa, acumine et ſolito ſuo ingenio, de uſu et commodo coeli mutati in Phthiſi ſcrofuloſa ſananda, tradita, haec verba fecit. "Ex his omnibus ſatis manifeſtum mihi videtur, coeli mutationem optimos polliceri effectus, et ad ſanandam et praecavendam Phthiſin Pulmonalem ex Scrofula ortam; morbum vero adeo periculoſum praecavere praeſtat, quam jam inchoatum aggredi." Idem paulo infra ſententiam Doctoris Mead de coeli mutationis uſu citavit, quam ſuis verbis quoque referam. "Coelum quoque mutare ſaepe in ſalutem cedit, imprimis ſi morbi (Scrofulae ſcilicet) in pulmones ruituri ſit metus; ita tamen ut regionem, nec calidam nimis, nec frigidam, nec tempeſtatum mutationibus inſalubrem, petat aeger." Hiſce auctoritatibus tam gravibus nihil quod addam habeo; igitur pergam ad

Lavationem frigidam. His de aëre frigido ſupra dictis pauca hic tantum adjiciam. Et autopſia et aliorum narrationibus fiſus, in ſuis Medicinae Elementis innuit Dr Cullen, hoc remedium interdum in Scrofulae curatione prodeſſe. Interea, exempla quamplurima ſe vidiſſe memorat, in quibus ſatis ſuperque demonſtrata eſt ejus inefficacia, quibuſque finis morbo neutiquam

quam expeditior impoſitus fuit, quam ſi nullum tale remedium adhibitum fuiſſet.

Aqua chalybeata, ſulphurea, et ſalina aeque laudatur, atque fere eodem cum ſucceſſu uſurpata eſt; unde cum Profeſſore illuſtri, aquam puram ſolam eſſe partem, qua nititur commodum, credimus. Paucis opinio fuit, aquam libere epotam pro potione habendam eſſe, ideoque ſyſtema lymphaticum eluendo agere: Sed, puta factum; quid, ſi ſimul vaſa non roborentur, hoc prodeſſet? Itaque, ſi morbi radicem aggredi voluerimus, robur hocce primum exequendum eſt, quod, quantum novimus, non niſi corpori univerſo vigorem impertiendo, praeſtare poſſumus.

De uſu ac commodo emeſis, catharſis, et ptyaliſmi in Scrofula ſannada parum conſtat: Nec magis liquet, num Terrae abſorbentes, Stibium, Mercurialia, Solanacea Pulſatilla nigricans, et Cicuta, unquam cum fructu magno adhibita ſint. Haud pauci credunt nonnunquam plane nocuiſſe. * In exemplis quidem nonnullis ſuccum

* "Strumoſa demum corporis conſtitutio (ſive malum iſtud ſeſe aperte prodiderit necne) inter conditiones, illas quae id omnium fere exinanitionum minus patiens reddunt,

cum vel decoctum foliorum recentium Tuſſilaginis ſumptum aliquid adjuvaſſe cenſet Cullen, nec non Medicus ille expertus Fuller.

Haec hactenus de remediis generalioribus ſunt dicta; jam alterum conſilium, quod ad tumorum et ulcerum tractationem reſpectat, ventum eſt.

Tumores aut excidendi, diſcutiendi, aut in pus convertendi ſunt.

Quod ad extirpationem tumorum attinet, cum in locis interioribus, ubi cultellus tuto minime admoveatur, ſaepe ſedeant, haud raro muſculis, vaſis ſanguiferis et telae celluloſae ſubjacentibus, immobiles haereant; et denique, cum ſaepe numeroſae adeo aggregatae ſint glandulae affectae, et in toto habitu exiſtente, ut labor eſſet magnus eas evellere omnes, (unam enim aut alteram ſolum evellere nihil omnino prodeſſet), dum tentamen dolorem ſaevum aegro faceſſeret, hoc opus aggredi nollem ſuadere.

Multa medicamenta medicis practicis adhibita ſunt ad tumores ſtrumoſos primum ortos diſcutiendum;

dunt, non immerito recenſetur. Cujus forſitan rei non alia ratio eſt, quam quod ſtrumoſi corpora laxi et flaccidi et debiles exiſtunt, et remedia igitur valde ſolventia et debilitantia male tolerant."—*Gregory's Conſp. Med. Theoret.*

cutiendum; horum vero perpauca votis ſuis reſponderunt. Cicuta interne ſumpta laude ſumma multis ornatur. Teſte Cullen, aliquando optime profecit, nec raro etiam in multis periculis ab eo factis ſpem omnino mentita eſt. De cicuta, ſaccharo ſaturni, nec non ſpiritu Mindereri externe admotis, eadem dici poſſunt. Frictio, electricitas, ammoniacum vegetabile, quercus marinae liquor, veſicantia, et unguentum mercuriale, a practicis ſucceſſu ſatis incerto uſurpata ſunt. Fomenta, ut et cataplaſmata, monente experientia, tumorum ſuppurationem accelerando, qui aliter ſponte forſan ſoluti eſſent, ſemper fere nocent.

Suppurationi favent, ſi modo hoc neceſſe fuerit, calor in glandulis laborantibus rite ſuſtentatus, ea, quae perſpirationem cuticularem cohibere valeant, eaque demum, quae tegumenta quodammodo molliant, et cohaerentiam infringant.

Siquando, quod abſceſſit, id ſuppuraverit, atque demum ulcus apertum factum ſit, varia admovere medici aſſueverunt, quo pus laudabile, ut dicitur, eliciatur; eſcharotica huic conſilio, quodam tenus aliquando ſatis inſervierunt: Omnium vero medicaminum, hoc genus, teſtatur

Cullen,

Cullen, alumen uſtum, cui apte additur unguentum quodvis mite; ſaepe mercurium praecipitatum rubrum et vitriolum caeruleum maxima vi pollere. Prae omnibus autem aliis applicationibus laudat linteola aqua frigida madefacta. Haec ſaepius interdiu madefacias, ne exareſcentia ulceribus adhaereant, ideoque irritamento ſint. Commendat idem egregius vir unguentum mitius aut emplaſtrum ſuper pannum extenſum noctu applicari. Nonnulli potius aqua marina uti amant, atque inde commoda majora pollicentur; haec autem, quoniam nimium irritationis gignere videtur, ab eo poſt aquam communem habita eſt.

Praeter ulcera et tumores glanduloſos in partibus ſitos, ſunt quoque affectiones quaedam aliae, ſicuti Ophthalmia, Oſſa carioſa, Hydarthrus ſcrofuloſus, ſimileſque quae auxilium medicorum nec raro requirunt. Quoniam vero talia vitia potius chirurgicam quam medicam ad provinciam pertinent, huic diſſertationi finem perpauca de Hydarthro ſolum dicendo imponam.

Poſtquam reſolvendi morbum media communia admota fruſtra fuerint, ſi vires aegroti multum infractae labaſcunt, et metus ne omnia in

pejus ruitura ſunt, ad operationem chirurgicam protinus confugere licet. Haec autem bifariam ſpectat; aut membrum ſupra artum affectum circumcidendum, atque ex toto amovendum eſt; aut artus ipſe affectus, nec amplius, excidendus, dum quod infra eſt, id os ſuperioris oſſis fini apte apponitur, ut calli interventu ſibi invicem accreſcant. Via prior nec raro bono cum ſucceſſu, poſterior, quantum mihi notum eſt, bis ſolummodo, ſemel cum eventu proſpero tentata fuit. Hujuſce operis proximi inventor* permodeſtus ac ingenuus commoda publica fecit, pariterque incommoda candide faſſus eſt. Sola igitur ad pericula facienda, quae oſtendant, num, qui conſuetudine inveteravit modum exſuperet, proſpiciendum eſt.

HIS

* Vide Park on the extirpation of Knee Joints.

His demum quae primum volui peractis, ſolummodo reſtat, ut erga viros quoſdam generoſos mihi amiciſſimos animum perquam gratum palam hic profitear: Imprimis, Reverendo Joſepho Harriſon, quod ad ſacra apud Innce Rectori, Artis Grammaticae doctiſſimo, eamque in Provincia Ceſtrienſi apud Overton docenti, magnam propter diligentiam in re literaria mihi promovenda impenſam, omne per tempus, eo auſpice, quo ſtudebam, me valde obſtrictum habeo; nec non Medicis ſolertiſſimis atque Chirurgis in Valetudinario publico quod apud Liverpool eſt decumbentes curantibus, a quibus plurima beneficia me, Rei Medicae per quinquennium ibi loci incumbentem, accepiſſe et expertum eſſe agnoſco. Horum omnium, viri perilluſtres, me eſſe memorem credite, proque his gratias haud fucoſas, ſinite, ut vobis agam.

T A N T U M.